



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 140. Repulsa Polonis a Papa data.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

cum Casparus de Perusio sacri Consistorii Sæcul. XV.  
Advocatus, Legatorum Poloniæ adlatus A.C. 1418.  
suum stantium nomine, assurgens petit, ut  
Liber Joannis de Falckenberg publice da-  
mnaretur, eoquod hæreses, atque pro-  
positiones Regno, & Poloniæ Regi exi-  
tiosas contineret, ac demum velut liber  
jam pridem damnatus declararetur, cum  
a Deputatis ad caußas fidei, necnon a  
quinque Concilii Nationibus, & a Car-  
dinalium Collegio jam antea unanimi  
suffragio proscriptus esset.

§. CXL.

*Repulsa Polonis a Pontifice data.*

Paulus Volodimirus, unus ex Poloniæ  
Legatis, cum Advocatum in suo li-  
bello supplici quædam omisisse animad-  
verteret, schedam hac super reſcriptam le-  
cturus surrexit. Ast Pontifex indicto si-  
lentio declarabat: *Quod omnia & singula  
determinata, conclusa, & decreta in ma-  
teria fidei per præsens Concilium, concilia-  
riter (id est synodaliter & in plena Ses-  
sione) & non aliter nec alio modo facta  
tenere, & inviolabiliter servare velit. Qua-  
si dixisset, quod non intendat approbare,  
quæ duntaxat per Nationes decreta, nec  
tamen in generali Concilii confessu fuere  
approbata, qualia sunt, Decreta reforma-  
tionis in Sessione XXXIX. proposita con-*

C c 5      demna-

Sæcul. XV. demnatio errorum Joannis Parvi, & Falckenbergii (\*). Interim hoc responso Legatus minime territus, lectionem suam prosequi voluit, verum cum Martinus V. ipsum cessare juberet, sub excommunicationis poena, hic nomine Regis Poloniæ, & magni Ducis Lithuaniae ad futurum provocavit Concilium, petiitque, intercessionis suæ publicum confici instrumentum. Verum Pontifex ejusmodi Appellationibus jam antea obicem posuit, dum per Bullam superius relatam eas fieri prohibuit. Dupinus narrat, Bullam istam, in qua appellatio a summo Pontifice ad Concilium interdicitur, nec lectam, nec in ulla Sessione approbatam, sed duntaxat in quadam particulari Cardinalium Congregatione promulgatam fuisse. Finita hunc in modum Polonorum caufsa, Episcopus Cathanensis orationem dixit.

## §. CXLI.

(\*) Supple, & Decreta Sessionis IV, & V. quæ nequidem sacro Collegio ad deliberandum oblata fuere, & quæ Cardinales, natio Italica, ipsique Oratores Gallici annitente præsertim Imperatore Sigismundo expungi petierunt. Vide Abbat. Panormit. Regest. Concil. Const. Schelstrat. in act. Conc. Const. fol. 2. & seqq. Galli, Vindic. Diss. 3. §. 4.